



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

I. De Sabbato septimi diei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

CAPVT SECVNDVM
DVM.

Magna ex parte est repetitio & illustratio primi Capitis, uidelicet operum Tertij & Sexti diei: Sunt autem in eo tres peculiare loci præcipue considerandi.

- I. De Sabbato septimi diei.
- II. Institutio cultus externi in Ecclesia.
- III. DE CONIVGIO.

I.

DE SABBATO.

Vox Sabbatum significat quietem, à שבת quiescit.

Quadruplex autem Sabbatum in sacra Scriptura proponitur.

Primum docendi causa Sabbatum Creationis uocetur, de quo inquit Moyses, Requiescit

uit deus die septimo ab omni opere suo. Firmissime aut̄ statuendum est, Deum, post conditam naturam rerum, non desisse agere, nec discessisse ab opere suo, ut Faber discedit ab extructa nauis, & relinquit cā nautis, sed perpetuo adesse suæ creaturæ, & eam liberrimè sustentare & conseruare. De hac sustentatione rerum, quæ Actio Dei generalis usitatè in Scholis dicitur, docent nos hæ sententiæ, Ioh. 5. Pater meus usq; modo operatur & ego operor. Act. 17. In ipso sumus, uiuimus, & mouemur. Ebr. 1. Sustentans omnia uerbo potentie suæ. Coloss. 1. Omnia in eo consistunt. Psalmo 147. Oculi omnium in te sperant &c.

Dicitur autem quiescisse Deus septimo die, quia nullam nouam speciem in natura condidit, cuius materia uel similitudo non præcesserit: & ut perspicuè ostendatur, Hominem esse finem omnium Creaturarum, propter quem omnes res aliæ conditæ sint, & in quo Deus præcipuè letari & adquiescere uelit. Hinc itaq; certo sumimus, Non plures esse aut futuros mundos, & hoc solum esse genus hominum, ita ortum & lapsum, ad quod redimendum unus Filius DEI in hunc mundum missus sit.

Interpretatur autem hoc Sabbatum Creationis Epistola ad Hebræos cap. 3. & 4. ac dicit æternum Sabbatum significari, in quo Ecclesia perpetuo uiuet,

uiuēt, sanctificabit Sabbatum, & coram fructur con-
spectu & sapientia Dei.

Est & ex hoc dierum numero dictum Eliæ sum-
tum, Sex millia annorum mundus, & deinde destru-
ctio. Hinc putant septimum millenarium fore ini-
tium illius nouæ & æternæ uitæ.

2. Est Sabbatum Redemptionis, id
est, Sabbatum Filij Dei inenarrabili
modo quiescentis toto septimo die in
sepulchro, tanq̃ à Deo desertus esset.
Hoc modo Deus nobis Festum Sabbati, in lapsu amisi-
sum, restituit. Vt enim ipse filius Dei ante gloriam
æterni Sabbati, sustinuit crucem & mortem, & in
sepulchro quieuit: Ita omnes pij post mortem pri-
mum Sabbato æternæ uitæ ornabuntur.

3. Est Ceremoniale, seu Pædagogic-
cum, seu Mosaicum, institutum docens
di causa, & ut admoneat nos de futuro
Sabbato. De hoc Exodi 20 dicitur, Memento, ut
diem Sabbati sanctifices. Vult Deus septimo die ces-
sari ab externis operis corporis, quæ impediunt mi-
nisterium, & sancta opera fieri, hoc est, doceri alios
de Deo, administrari Sacramenta, et fieri opera, quæ
immediatè ad Deum celebrandum pertinent.

De abrogatione Sabbati aliàs dicitur, speciem
quæ est Ceremonialis, abrogatam esse, Genus autem,
quod est Morale, manere. Est enim tertium præce-
ptum

ptum mixtum, partim Morale, partim Ceremoniale, ut suo loco dicemus.

4. Sabbatum uitæ æternæ, in quo cessantibus omnibus officijs uitæ animalis, generatione, nutritione, sine caligine & peccato, sine ullo labore & dolore tantum opera Sabbati faciemus, coram intuebimur & celebrabimus Deum, & ipse nobis impertiet societatem suæ lucis & uitæ æternæ, ut dicitur Hebr. 4. Reliquum est igitur populo Sabbatum. Esai. 66. Erit sabbatum ex Sabbato. Hanc futuram & eternam quietem piorum adumbrat ty-
pus in lege Sabbati.

TEXTVS.

Omnis ornatus eorum: In Ebraeo est זבאם
Zebaam, exercitus uel militia eorum, Tota enim creatura militat & inseruit Deo. Vitate autem Scriptura exercitum seu militiam cœlorum nominat Solem, Lunam & Stellas, Ierem. 19. Sacrificauerunt omni militiæ cœli. Hinc Dominus Zebaoth dicitur, id est, exercituum, cœlestium siderum, Angelorum & Hominum author, qui infinitam suam potentiam in omnibus creaturis declarat, & in cuius manu sita sunt uictoriæ in bellis, ut etiam Xenophon
& inquit

inquit, Ανοβ. γ. Nec copiae nec uires uictoriam adferunt, sed auxilium diuinum: Et Thucydides, ἡνίστατο ἡμῶν ἕκαστος χωρὶς ὁ πόλεμος. Nusquam minus quam in bello euentus respondent.

Ab uniuerso opere) scilicet, Creationis nouarum specierum, sed non conseruationis & sustentationis.

Benedixit Deus diei septimo & sanctificauit eum. (Et) pro(id est). Exponit enim quid significet benedixit, id est, sanctum ac sibi dicatum haberi uoluit, destinauit eum ad usus diuinos.

Quod creauit Deus ut faceret.) Quod faciendo Deus creauerat, seu quod creauerat Deus, ut certis usibus destinaret.

Istae sunt generationes.) Passiue, id est, hi sunt natales & ortus, ita generati sunt, ita extiterunt, ita conditi sunt caeli & c.

In die.) id est, in tempore. Synecdoche.

Quo fecit Dominus.) Hic primum ponitur nomen Tetragrammaton יהוה Iehoua, Necessarium enim fuit, ut ibi esset perfecta Dei appellatio, ubi perfectum esset opus.

Non enim pluerat.) Non est quod quisquam hoc tribuat pluuiæ, uel humanae industriæ, quod terra habuit herbas, & omnis generis fructus, cum nondum pluisset, & non esset homo cultor terræ.

Et Fons.) Vapor eductus è terra per calorem Solis in mediam regionem aëris, qui frigore ibidem

densa-

densatus in nubem, & in pluuiam resolutus, terram humore fecundo rigauit. Ita Moyses causam materialem, finalem & efficientem Fluiuarum descripsit.

Repetitio operis sextae diei.

Formauit Dominus Deus Hominem puluerem de Terra.

Hic locus, Humanae carnis ex gleba terrene effigata & formatae descriptionem continens, Primum nos de nostra infirmitate & mortalitate, & de Modestia & Humilitate colenda admonet. Quam admonitionem sapienter & copiose illustrauit Basiliius Homil. 11. in ἐξαήμερον. Συμμαχος ἐς τὸ λογισμῶν ἢ γῆ ἀεὶ πρῶτα καὶ ὑπομνήσκουσα τῆς ἑαυτοῦ ταπεινώσεως. Ἰὺτο ἐπὶ πάσης ἁμαρτίας φυλακτικίον ἡμῖν ἐς τὸ ὑπόμνημα.

Deinde, Dignitatem Carnis humanae, Dei manu formatae, consideremus, Quam splendide illustrat Tertullianus in libro de Resurrectione, his uerbis. Limus illa iam tunc imaginem intuens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed & pignus. Quo nunc facit, ad infuscandam originem carnis, nomen terra uentilare, ut sordentis, ut iacentis Elementi? Cum etsi alia materia excudendo homini competisset, artificis effigiem recogitari oportet,

teret, qui illam & eligendo dignam iudicasset & tractando fecisset. Phidiae manus Iouem Olympium ex ebore molitur, et adoratur. nec iam bestiae et quidem insulsissimae dens est: & summum seculi nomen Elephantus. Sed quia Phidias tantus, Deus uerus, deus uerus, quamcunq; materiae uilitatem, non de sua operatione purgasset, & ab omni infirmitate sanasset? An hoc supererit, ut honestius homo Deum, quam hominem Deus finxerit? Nunc etsi scardalum limus, alia iam res est. Carnem teneo, non terram: licet & caro audiat, Terra es & in terram ibis. Origo recensetur, non substantia reuocatur. Datum est esse aliquid origine generosius, & demutatione felicius. Nam & aurum terra, quia de terra: haec tamen terra: Ex quo aurum, longe alia materia, splendidior atq; nobilior de obsoletiore matrice &c.

Et paulo post,

Ab sit ut Deus manuum suarum operam, ingenij sui curam, ad status sui uaginam molitionis suae regiam, liberalitatis suae haeredem, religionis suae Sacerdotem, testimonij sui militem, Christi sui sororem in aeternum destituat interitum &c.

Irenaeus lib. 3. cap. 31. Vt Protoplastus Adam de rudi terra & adhuc Virgine formatus est manus Dei: Ita secundus Adam Christus omnia recapitulans ex Maria uirgine.

Inspira

Inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ.

Etiam cæteris animantibus indidit Deus spiritum uitalem, qui per totam corporis machinam deuehit calorem uiuificum, & omnibus membris impertit uim exercendi actiones animales, Sed præter hunc spiritum uitalem, communem cum pecudibus, & intereuntem unã cum corporibus, adflauit Deus hominibus ANIMAM RATIONALEM, quæ est substantia spiritualis, uiua, creata à Deo ad imaginem ipsius, id est, intelligens, libera & iusta, quæ est pars substantiæ hominis, nec extinguitur cum à corpore hominis discessit, sed est immortalis, & donec in corpore uersatur conuerti ad Deum potest, adiuta à Deo, & deficere à Deo sua ipsius uoluntate. Hæc enarratio uerborum, Inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ, sumta est ex his dictis Act. 7. Domine Iesu suscipe spiritum meum. Genes. 1. Creauit Deus hominem ad imaginem suam. Matth. 10. Animam non possunt occidere & c. Ut enim Christus adflans Apostolos, impertit eis Spiritum suum sanctum, Ita Deus adflans hominibus animam extrinsecus, simul suæ lucis, sapientiæ, iusticiæ, & uitæ radios in eam transfundit, quæ non est corporea moles, sed halitus coelestis & diuinus. Vnde etiam Ethnici quidam sapientes dixerunt Animam esse diuinæ particulam auræ. Et Ebræi uocabulum

ג 3 נפש

וַיִּבְרָא, deriuant à שָׁמַיִם à cælo, quod sit spiritus de cælo seu à Deo ortus.

Et factus est Homo in animam uiuentem. Id est,

Non simpliciter sicut bestia, sed quam DEVS posthac uiuificaturus erat etiam sine animali uita, sine cibo & potu, ad immortalitatem, & spiritualem uitam.

Citat hunc locum Paulus 1. Corinth. 15. Adam primus factus est in animam uiuentem, postremus Adam in spiritum uiuificantem, id est, Adam primus factus est, ut esset anima uiua, seu homo uiuens uita naturali, quæ sustentaretur cibo, potu, gigneret, haberet actiones naturales, & posset mori. Postremus Adam, id est, Christus ex morte resuscitatus habet corpus spirituale, non indigens cibo &c. & spiritus suo omnium fidelium, qui ex mortuis resurgent, corpora uiuificabit, ut & ipsa sint spiritualia, conformia corporis Christi, non habentia ullas actiones naturales, sed tantum spirituales, agnitionem Dei, & ardentem amorem Dei, leticiam spirituales & eternam uitam &c.

In scilicet

In primo statu, habuit posse mori & posse non mori.

In secundo statu, post peccatum, habet posse mori & non posse non mori.

In tertio statu, post resurrectionem, habebit posse non mori, & non posse mori.

In scholis ita usitate dicitur, Homo.

Repetitio operis Tertij Diei.

Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum uoluptatis in Eden.)

Paradisus Græca uox est, & Latine hortum con-
situm & conseptum significat. Sic enim Cicero hanc
uocem in Oeconomico Xenophontis conuertit, ubi
narrat Cyrum Lysandro τὸν ἐν Σάρδεσι πᾶσαι-
σὺν ἐπιπέδου κλυῶα.

Fuisse autem certum locum terræ summa amœ-
nitate & fertilitate, in quem collocatus est Adam,
ex textu constat, & ubi fuerit, ex appellatione loci
Eden manifestum est, cuius mentio fit Genes. 4.
Ezech. 27. Esa. 37. Et celeberrimum est nomen Eden-
na seu Edesse, in Mesopotamia, ad ripam Euphratis
sitæ. Nunc ociosa de Paradiso corporali questio est,
cum non amplius extet, ac in diluuiio plane disipa-
tus sit, Ideoq; etiam fluuiorum qui ex Paradiso di-
cuntur orti fuisse, & nomina & loca, per quæ flu-
unt,

unt, ignota sunt. Multa autem de Paradiso eruditè
& copiosè collecta Studiosi apud Eugubinum in-
uenient.

Metaphoricè Paradisus significat quemlibet lo-
cum amœnum, ut de Sodomorum planitie Genesis
13. legitur. Ita & coelorum regia ob fœlicitatem ab-
solutiss: Paradisus dicta est Lucæ 23. Hodie mecum
eris in Paradiso. 2. Corinth. 12. Raptus sum in Para-
disum Domini.

Paradisum uoluptatis:) In Ebræo est, Hortum
in Eden גן בעדן. Nam ערן loci nomen est, quod
alioqui uoluptatem significat.

A Principio מיקדם Mikedem:) Ab ante, hoc
est, uersus orientem, significat locum & non tempus.
Genesis. 29. Iuit ad terram filiorum קדם orientis.
Ioel. 2. Ezech. 47. ad mare orientale. Ventus ab ori-
ente uocatur קדים Exod. 4. Ezech. 17. 19. 27. ubi
semper Ieronymus uertit uentus urens, desiccans,

Lignum pulchrum uisu:) Id est, pulcherri-
mam quamq; & suauissimi fructus arborem. Lignum,
pro arbore & fructu arboris, ponitur.

ARBOR VITÆ, Id est, uitalis, ad hoc con-
dita, ut homo ex eius fructu uescens, stabili & firma
corporis sanitate esset, & sine ulla infirmitate uel
uirium decremento, perpetuo in summo omnium ui-
rium uigore uiueret.

Arbor scientiæ boni & mali:) Ab euentu
transgressionem sequente, sic appellata est. Nam
post-

postquam in ea peccauit Adam, non solum uidit quid boni amiserit, sed etiam in quam ingentia mala animæ & corporis per inobedientiam coniectus sit. Nam si Adam non fuisset lapsus, hæc arbor fuisset Templum, in quo coluisset Adam DEVM, & suam obedientiam erga DEVM externo opere declarasset.

Allegorice, Lignum Scientiæ Boni & Mali est Lex.

Lignum Vitæ est Euangelium.

Veteres etiam in hac Imagine in consolationibus remedijs dolorum & ærumnarum usi sunt. Arborem cruicis Christi aridam et aspectu tristem esse. Sed ijs, qui de eius fructu comedant, arborem uitæ æternæ fieri.

Econtra Arborem scientiæ boni & mali, quæ gustata, Adamo & posteris mortem attulit, uiridem et aspectu iucundam fuisse.

Fluuius egrediebatur de Eden ad irrigandum Paradisum.

Obscura est & difficilis huius loci explicatio. Quidam unius fluminis Euphratis, uel certè uicinarum fluminum in Mesopotamia, hæc quatuor nomina esse disputant, Quæ sententia maxime uero consentanea est. Alij quatuor ferè præcipua flumina in mundo, uidelicet, Gangem, Nilum, Tigrim, & Euphratem ortum suum in Paradiso habuisse conie-

G 5 Etant,

IN GENESIN

stant, & in diluuiio fontes dissipatos esse sentiant.
 Licebit autem Lectori, utram uolet sententiam
 sequi.

Nomen uni Pison.) Hunc Gangem esse uolunt,
 cuius ostia, habent gradus longit: 145. lat. 18. Est au-
 tem $\chi\upsilon\sigma\acute{o}\phi\omicron\rho\omicron\varsigma$ uolvens arenas auri sicut Rhenuus,
 Tagus, Pactolus, Phasis.

Euilath.) Alij Indiam, alij Cabarinum uel Ca-
 balam Mesopotamiæ uicinam significari uolunt.

Vbi nascitur aurum.) De auro à formicis In-
 dicis custodito, scribit Herodotus lib. 2. pag. 104.

Bdellium.) Arbor est, ex qua destilat lachry-
 ma seu gummi translucidum, odoratum, amarum, et
 substantia ac qualitate myrrhæ cognatum, de quo
 Dioscorides lib. 1. cap. 69. Plinius lib. 12. 9.

Lapis onychinus.) Onyx testa est Conchili
 candicans & odorata, à leuore unguis sic nuncupata,
 inuenitur in nardiferis Indiæ paludibus. Dioscor.
 lib. 2. cap. 7.

GEON dicunt Nilum esse, cuius origo ignota
 est, unde prouerbum. Nili caput querere. In Helio-
 doro dicitur habere numerum dierum anni.

N	50
E	5
I	10
A	30
O	70
Σ	200.
	<hr/>
	365.

Quotian

Quotannis rigat sua inundatione Ægyptū flantibus ex aduerso Ethesijs, cum Sol est in ♄. 7. 11. et centesimo die intra alueum reuocatur, Plinius lib. 5. cap. 9. Auctus Nili per puteos mensuræ notis deprehendunt. Iustum incrementum est cubitorum 16. Plura Herodotus in Euterpe pag. 49. 50. 51. 52.

Achiopiæ.) Cus non semper Æthiopiam meridionalem, sed loca uicina Arabia significat, ut Saphoraxor Moyse Æthiopissa ex Madian, hinc colligitur quidam Geon flumen esse Mesopotamiæ.

Tygris.) Strabo. ῥῆ δὲ πρὸς τὴν ἑώαρον σὺν πιάσ.

Euphrates notus est.

Mesopotamia dicitur, quod sit μεσσοποτάμω, media inter Euphraten & Tygridem.

Vt operaretur & custodiret.) Vt bona opera & cultus Deo gratos præstaret: & Terram coleret. Sic in Ecclesiaste Reges uocantur cultores terre. Colant igitur disciplinam, iusticiam, pacem, & defendant subditos, ut terram colere & Deo gratos cultus præstare possint.

II.

INSTITVTIO CVL
TVS EXTERNI IN
ECCLESIA.

Cultus Dei est opus à Deo mandatum,